



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

8 Episcopus solemniter poenitentem, aut bigamum ordinans per annum à
celebratione est suspensus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- Episcopis videbitur expedire, sunt suspensi; conc. Trident. cap. 8. de reform. sess. 23. cap. 1. cum plur. seq. 9. quast. 2. cap. 121. quast. 2. cap. 1. & tot. tit. de temp. ord. in 6.
- 4 Secundò infanti, ¶ seu illiterato clericalem tonsuram Episcopus conferre non potest, & contrafaciens in eo, in quo deliquit, punitur, quia à collatione clericalis tonsuræ duntaxat per annum est ipso jure suspensus, ut c. fin. eod. tit. in 6. Infans verò dicitur, ¶ qui primum septennium nondum explevit, ut tenet Greg. Sayr. in Thef. cas. conse. lib. 4. c. 12. num. 18. tom. 1. per glo. 12. in d. cap. fin. in ver. infanti.
- 6 Et ¶ illiteratus ad effectum suscipiendi primam tonsuram est, qui legere, & scribere nescit, concil. Trident. cap. 4. de reform. sess. 23.
- 7 Tertio, ¶ Episcopus sacerdotem indignum, & inhabilem ordinans, à collatione illius ordinis sacerdotalis est suspensus, cap. si quis Episcopi, & ibi gloss. in ver. illi, 1. quast. 1.
- 8 Quarto, solemniter pœnitentem, vel bigamum ordinans, est per annum à celebratione suspensus, cap. nullus; § 5. dist.
- 9 Quintò ¶ ordinans clericos, religiosos, sive seculares, more religiosorum viventes in communi, non profectos, sine legitimo titulo patrimonij, vel beneficij, juxta dispositionem conc. Trid. cap. 2. sess. 22. de de reform. per annum à collatione talium ordinum ipso jure est suspensus, ut in constit. Pij V. in Bull. cap. 74. §. nos igitur, & §. statuentes, ne taliter promoti ante professionem, sine titulo patrimonij, religionem exeuntes, cogantur mendicare, contra mentem sacri concilii Trident. cap. 2. de reform. sess. 21.
- 10 Sextò, Episcopus ¶ qui intra sex menses non denunciavit subditis, quæ in concilio provinciali facta fuerint, ab officio per duos menses est suspensus, cap. ult. ubi glo. fin. 18. dist.
- 11 Septimò, ¶ conferens duos ordines sacros uno die, vel duobus diebus continuato jejunio, à collatione eorundem ordinum est suspensus, donec à Sede Apostolica gratiam meruerit obtinere, cap. litteras, & cap. dilectus, de temp. ordin.
- 12 Octavò in aliena diœcesi ordinans ¶ sine expressa Ordinarij loci licentia, ab executione pontificalium per annum, & ordinatus ab executione ordinum sic susceptorum arbitrio sui Prælati est suspensus, concil. Trident. cap. 5. sess. 6. de reform.
- 13 ¶ Et si de licentia Ordinarij in aliena diœcesi ordinat, non potest personas eidem Ordinario non subiectas ordinare, aliàs eandem suspensionis pœnam incurrit, ut cap. 2. de reform. sess. 14. nisi clerici aliarum diœcesum suas litteras dimissorias habeant, quia tunc non excluduntur, quominus possint ab Episcopis in extraneis in aliena diœcesi de licentia Ordinarij Pontificalia exercentibus, ordinari; ut fuit à sacr. Congr. Concil. decisum, ut in decis. super eod. cap. 5. sub tit. Bisignanen. Quam licentiam non potest
- 14 ¶ Prælati inferior concedere, etiam si sit exemptus, sed Ordinarius loci, videlicet, Episcopus, in cujus diœcesi locus est situs, ut ibidem super eod. cap. sub. tit. Lucan.
- 15 Nono ¶ Episcopus in aliena diœcesi sine illius, Episcopi licentia calices, vel